



**Corpus Juris Canonici, Per Regulas Naturali Ordine
Digestas, Usuque Temperatas, Ex Eodem Jure, Et
Conciliis, Patribus, Atque Aliunde Desumptas, Expositi**

Opus, Tum In Rebus Obscuris Claritate, Tum Dispersis Collectione ac
delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque Indicibus ac
Præfationibus, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum, ; In Tres
Tomos divisum

Complectens Prolegomena Ad Jus Canonicum In Se Et Universim
Consideratum

Gibert, Jean-Pierre

Coloniæ Allobrogum, 1735

Cap. XXIV. Caput 4. de Rescriptis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74413)

acceperunt; si ante electionem suspectum se fecerit Episcopus multis dicendo, fore, ut conquerens Beneficium non consequeretur, quamvis alio dignior videretur.

Cæterum hujus appellationis effectus non est suspensivus, sed tantum devolutivus.

CAPUT XXIV.

Caput 4. de Rescriptis.

Textus hic docet, Rescriptum alternativum, cuius unum membrum falsum est, aliud verum, executionem fortiri debere, modo membrorum alterum verum sit. Tale esset illud, quo præciperetur Titio, ut Mavium ejus Beneficio exueret, si probaretur, eum esse Filium Sacerdotis, & in Sacerdotio genitum, qui proximè in tali Ecclesiâ ministravit, vel eum eandem Ecclesiam occupare.

FAGNANUS occasiones exponendi Concilium attentè captans, hæc utitur ad discutiendam disjunctionem, quæ circa Scrutatores legitur, in Cap. 18. supra toties laudato circa concursum. In eo jubet Concilium, ut illi Scrutatores sint Doctores, aut Licentiatum in Theologiâ, aut in Jure Canonico, aut alii Clerici, sive Regulares, etiam ex Ordine Mendicantium, sive Sæculares maximè idonei, qui reperiri possint. Concilium hac disjunctione linquit - ne Episcopo optionem, ita, ut eligere possit Religiosos non Graduatos, quamvis in Civitate sint Graduati? an cogit eum ad sequendum ordinem literarum, ita, ut ad scrutinium assumere nequeat viros non Graduatos, nisi deficientibus Graduatis? Autor sine hæsitatione contendit, Episcopum teneri ad præferendos cæteris Graduatos; quoniam illi rationes prælationis habent, ex præsumptione quòd majorem scientiam & exercitationem habeant in rebus, circa quas scrutinium fieri debet, ac credendi locus est, eos ob id, ante cæteros nuncupatos fuisse. Sententiam suam decisione Congregationis confirmat, quæ declaravit, Concilium Cap. 16. Sess. XXIV. jubens, ut is, quem Capitulum eliget in Vicarium *Sede vacante*, sit Doctor, aut Licentiatum in Theologia, aut in Jure, vel maximè idoneus, qui occurreret, intendere, ut Graduatus præferatur, nullusque aliis eligatur, nisi deficiente Graduato. Solutis postea objectionibus, sub finem dicit post Congregationem, 1. Si Episcopus ad scrutinium elegisset viros non Graduatos in Graduatorum præjudicium, scrutinium non idè fore nullum. 2. Si Episcopus Graduatos tantum ignaros reperiat, posse eum assumere non Graduatos; quippe Gradus absque scientiâ, pro nullo reputari debeat.

CAPUT XXV.

Caput 27. de Jure Patronatus.

Loquitur de casibus, in quibus Collatio Beneficiorum Patronatus Laicalis ad Episcopum devolvitur, quâ devolutione locum habente, tam erga Curas quam cætera Beneficia, querit FAGNANUS, an Episcopus hoc in casu debeat conferre per viam concursus? & respondet, eum debere; quoniam Concilium generatim loquitur de casibus, quibus vacant Curæ, & jubet, ut Episcopus Ministrantem statim mittat cum portione congruâ, tum concursum proponat. Præterea, ratio Decreti locum habet hoc in casu, scilicet, momentum gravissimum Curis præficiendi personas, ad bene regendum idoneas. Solutisque objectionibus sumptis ex eo, quòd hæ Curæ Patronatus Laicalis concursui non sint obnoxia, dicendo, exceptionem hanc introductam fuisse tantum ad conservationem Juris Patroni, rationemque hanc in casu devolutionis applicationem non habere; observat, Congregationem sic definitivè. 1. Declarando

quòd si Patronus Laicus plures personas præsentet, concursui locus est. 2. Loquendo nominatim de casu devolutionis à num. 7. usque ad 13.

CAPUT XXVI.

Caput 2. ne Sede vacante.

Hic definit HONORIUS III. ad quem Sede vacante Collatio pertineat, & distinguit inter Collationes *necessarias*, & Collationes *liberas*, priores Capitulo tribuendo, cæteras Episcopo reservando. Cum Curæ Patronatus Ecclesiastici sint Collationis necessariæ respectu Episcopi, qui præsentato idoneo conferre tenetur, & Capitulum Episcopi jurisdictioni succedat, querit FAGNANUS, an ejusmodi Curis, in eo casu vacantibus, ipsis providendum sit per viam concursus? Respondet, Congregationem sic statuisse, atque præscripsisse formam concursus, quæ approbata fuit à Pontifice. Scilicet, Capitulum nullo modo se immiscebit concursui, sed omnia spectabunt Vicarium, quem ad regendam Diocesim elegerit: hic Ministrantem nuncupabit cum portione congruâ, concursum publicabit, & quoad scrutinium, & Collationem, id faciet, quod præstaret Episcopus, si Sedes occuparetur, & quod supra observatum est, sive numerus nominatorum Synodaliū subsistat, sive non subsistat, sive tempus eos eligendi præteritum sit, sive non,

Querit præterea, an Vicarius Apostolicus, cui Pontifex omnem Episcopi jurisdictionem dat, tam liberam quam contentiosam, exceptâ Collatione Beneficiorum, & concessione Testimonialium, & Dimissiorum ad Ordines, habeat directionem concursus, quam haberet Episcopus, ita, ut possit nominare Ministrantem, eique portionem congruam assignare, concursum proponere; tres è Scrutatoribus Synodalibus assumere, eum eligere, quem digniorem judicabit ex iis, qui approbati erunt? Respondet, eum has omnes facultates habere, electionem dignioris valde à Collatione discrepare, pluribus in casibus ab ea separari. 1. Cum Beneficia Pontifici reservata sunt. 2. Cum Collatio ad Collatores inferiores pertinet. 3. Cum Institutio ad alium, quam ad Episcopum pertinet. Tum laudat duas Declarationes Congregationis, quæ definiunt Episcopum dirigere debere concursum ad Curas, quarum Collatio ad Capitulum pertinet.

CAPUT XXVII.

Caput 46. de Simoniacis.

Loquitur de facultate dispensandi erga Religiosos, quorum ingressus simoniâ laborat, & declarat, eos, qui habent ejusmodi facultatem velut Ordinarii, sive quatenus Delegati, eâ posse uti in gratiam Abbatum. Cum facultas hæc multum affinis sit potestati rehabilitandi Provisiones nullas, etiam Curarum per concursum datarum, cupiens FAGNANUS exponere Decreta Tridentini, prolixè disputat de his facultatibus, circa quas dubia quatuor solvit.

1. An Magnus Pœnitentiarius possit in foro interiori revalidare provisiones Curarum, extrâ concursum & sine tertii præjudicio impetratarum?

2. An possit easdem provisiones in concursu impetratas revalidare, cum nullitas aliunde venit, quam à Censurâ Provisi, aut violatione Censuræ, non inserta Clausulâ, fiat postquam concurrentibus satisfecerit, vel cum eo concordaverit?

3. An illud possit cum illâ clausulâ?

4. An hæc clausula in proximè reducibilis sit, & quomodo, quamvis dubium non spectet ad concursum, de quo agitur, cum nostrum consilium aliud non sit, quam observare ex ordine Fagnani doctrinam circa